

UNIVERSITATI STUDIORUM, QUAE EST PATAVII UNDECIMAS
FERIAS SECULARES SUAE INSTITUTIONIS CELEBRANTI
UNIVERSITAS STUDIORUM QUAE EST AS MONTEM REGIUM,
QUOD EST OPPIDUM CANADENSE, SALUTEM PLURIMAM DICIT.

Magna vos voluptate affecerunt litterae vestrae
quibus nos certiores fecistis de feriis vestris
saecularibus undecimis hortatique estis ut adveni-
remus ut easdem vobiscum celebraremus. Voluptatis
nostrae praecipua pars in eo erat quod nos docuistis
vel potius in memoriam revocavistis Dungalum vestrum,
magnum in primis virum, Scotum fuisse, hoc est,
Hibernico genere ortum, quam terram imperi Britannici
partem esse jure gloriamur. Hoc loco non ab re
fuerit memorare nostrae quoque Universitatis primum
auctorem et conditorem originem ex Hibernia duxisse
cuius rei documento est nomen eius McGill, quod
nomen Hibernice idem quod Latine Servius, nomen
regium, significat.

Et Lanfrancum quod summo honore
dignum judicavistis, magno opere laetamur, hominem non
ad patriae gloriam tantum natum sed nostrorum quoque
annalium memoria insignem.

Quae cum ita sint, dolemus tamen
id vos tempus feriarum vestrarum celebrandarum delegisse,